

De ellipsi Tacitina.

Si verum est, quod Cicero de orat. I, 3, 12 scripsit: „dicendi omnis ratio in medio posita communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur, ut — in dicendo vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrire“, oratorem semper id genus dicendi adhibere, iudicandum est, quo aequales utuntur. Cum vero rerum gestarum scriptores non eodem modo vulgari genere dicendi continerentur, sed liberius scribendi modum sibi fingere possent, primus inter Romanos historicus extitit Sallustius isque novi generis dicendi inventor; quam ob rem ab eis, qui purum dic. genus adamaverunt, iudicii severitate reprehensus est. Cum historici, qui eum secuti sunt, magis magisque ab urbanitate illa, quam Cicero excoluit, recederent, praesertim cum posteriori tempore poetae plurimum ad orationis habitum conformandum valerent, argenteae, quae dicitur, aetatis genus dicendi exortum est, quo Tacitus ita quidem usus est, ut illa Socratis verba „ut vivat, quemque ita dicere“ (cf. Cic. Tusc. V, 16) vera esse ostenderet; nam novae prorsus orationis historicae inventor fuit. Quomodo Tacitus dicendi genus excoluerit, nos quoque intellegere et persequi possumus; nam dum in dialogo de oratore*) genus dic. invenimus Ciceronianum quoddam, quamquam ad temporis rationem conformatum, in reliquis libris ipse sibi scribendi modum finxit, cuius progressus ab initiis, quae in Agricola et Germania apparent, ad peculiarem illam et propriam virtutem, qualis in libris ab excessu divi Augusti occurrit, dilucide conspicitur. Atque praecipua Tacitini generis proprietas dicendi est brevitas.**) Quae cum in Taciti libris interpretandis et cognoscendis magni sit

*) Cur dialogum de oratoribus Tacito abiudicemus, nulla est causa, cum liber manu scriptus, cui libellum illum debemus, — nam libros m. scr., qui adhuc restant, ex illo Enochiano, qui dicitur, libro fluxisse, hodie vix quisquam est, qui neget — Taciti nomen tradiderit. Media autem aetate cum Taciti nomen omnibus fere incognitum fuerit, quemquam illi libro hoc nomen, nisi traditum esset, praescripturum fuisse, non credibile est. Quod genus dicendi, quale in dialogo est, valde a reliquis Taciti libris discrepat, mirari non possumus, cum in dialogo viros nonnullos doctos de eloquentia disputantes in reliquis vero scriptis Tacitus res gestas narret.

**) Qua de re cum optime Nipperdeius (praef. pag. 34 sq. edit 3.) disputet, verba eius hic adscribere liceat: Die Rede jedes ernsten Mannes ist kurz. Die Kürze des Tacitus liegt aber nicht wesentlich in dem Wegschneiden der grammatisch entbehrlichen Wörter oder in sentenziöser Form der Rede. Er hat oft jene wohlfeile Kürze der rhetorischen Wirkung geopfert, und überhaupt die Kürze nicht als Zweck, sondern als Mittel auf das Gefühl des Lesers zu wirken betrachtet. Seine Kürze besteht vornehmlich darin, daß er durch geschicktes Hervorheben der Hauptmomente den Geist des Lesers zur selbständigen Ausführung der Anschauung erregt, daß er in jedes Wort so viel als möglich legt, mit Vorliebe

momenti, fortasse haud alienum erit, si formam quandam huius generis, ellipsis, accuratius persequar.

Sed priusquam ad ipsum propositum transeo, quae sit ellipsis, exponere necesse est. Qua de re Godfr. Hermannus (de ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua pag. 101) haec dicit: „Clarum est, quum de ellipsi quaeritur, integratatem orationis non posse aliam intelligi, quam grammaticam, quae in eo est posita, ut omnia dicantur, quae quis cogitari velit. Itaque si recte definire volumus, ellipsis est omissio vocabuli, quod etsi non dictum, cogitatur tamen.“ Deinde si quaerimus, quae verba omitti possint, hoc statuam: primum quidem singulas enuntiati partes, deinde omnes partes, totum igitur enuntiatum posse omitti.

In re tractanda id potissimum egi, ut primum ostendam, Tacitum ubi a priorum scriptorum dicendi modo recedat, plerumque poetas secutum esse, deinde eum non omnibus illis locis, quibus viri docti censem, elliptice dixisse putandum esse, In locis disponendis Draegeri librum utilissimum (Ueber Syntax und Stil des Tacitus. Leipzig 1868.) secutus, cui permulta me debere grato animo confiteor, disseram

- I. De ellipsi, qua Tacitus in singulis enuntiatis conformandis usus est;
- II. De ellipsi in enuntiatis, quae adiunguntur;
- III. De ellipsi in enuntiatis, quae subiunguntur;
- IV. De ellipsi, quae vulgo statuitur in genetivo et dativo cum gerundii tum gerundivi enuntiati secundarii vice adhibitis.

I.

Cum primum quidem de ellipsi, qua Tacitus in singulis enuntiatis conformandis usus est, mihi disputandum sit, Draegeri dispositionem secutus primo loco de ellipsi praedicati ut ita dicam, deinde de ellipsi, quae ad obiectum, postremo de ellipsi, quae ad attributum, quod nos dicimus, pertinet, disseram.

1. De ellipsi praedicati.

1. Saepius Tacitus verba sentiendi et dicendi omittit. cf. Nipperd. ad A. I, 9 et XIV, 6.

Desunt illa verba A, si ea, quae sequuntur, verba clare et aperte orationem personae, quam scriptor antea nominavit, continent: dial. 4 et Maternus: perturbarer hac tua severitate, nisi — vertisset. 15 tum Aper: non desinis, Messalla, vetera — mirari. 25 tum Messalla: seuar praescriptam a te, Messalla, formam. 28 et Messalla: non reconditas, Materne, causas requiris. 33 deinde cum Aper quoque et Secundus idem adnuissent, Messalla quasi rursus incipiens: quoniam initia et semina — satis demonstrasse videor. 42 finierat Maternus, cum Messalla: erant quibus contradicerem.

solche Wörter und Constructionen gebraucht, die ganze abhängige oder Zwischenfälle ersetzen, wie Verbal-substantiva, Participien und die im Lateinischen so reichhaltigen Participleconstructionen, endlich in verkürzenden grammatischen Redefiguren, von denen er besonders das Zeugma mit Kühnheit anwendet. Kürze bringt Schnelligkeit mit sich. Diese wird noch besonders bewirkt durch Häufung synthetisch aneinander gereihter Glieder, Weglassung der Uebergangspartikel und Zusammendrängen der Gegenfälle ohne Adversativpartikel, endlich durch Häufung historischer Infinitive. Diese hat indessen Tacitus nicht so häufig. Ueberhaupt ist bei ihm die Schnelligkeit der Würde untergeordnet: er macht große Schritte, aber er läuft nicht.

At multo audacius in reliquis scriptis Tacitus hanc ellipsis adhibuit. G. 18 hoc — denuntiant, sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae — reddat etc. H. V, 16 exhortatio ducum non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias; ut perfidum ignavum victimum hostem in aeternum excinderent, ultione magis quam proelio opus esse e. q. s. A. I, 9 At apud parentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent, neque haberi per bonas artes etc. 41 quis ille flebilis sonus? quid tam triste? XIV, 61 Quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius, non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet etc.

B. desunt illa verba, si sermo paullo fervidor est. dial. 6 coire populum et circumfundi cordonam et accipere affectum quemcumque orator induerit! A. XIV, 6 observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens: solum insidiarum remedium esse, si non intellegeretur. 7 quod contra subsidium sibi? 8 ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus paraturus, nihil se de filio credere.

C. desunt illa verba, si verbum simile antecedit vel sequitur: dial. 10 sentio, quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. 30 notus est — liber —, in cuius parte — quandam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile didicisse etc. H. III, 13 ibi Vespaianus virtutem viresque partium extollit: transfusisse classem —, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius. 24 tum ad Moesicos conuersus principes auctoresque belli ciebat —. haec, ut quosque accesserat, plura ad tertianos, veterem recentiumque admonens etc. 78 nec defuere qui — arguerent —. alii facta haec et in gratiam Muciani composita. IV, 75 cum Civilis et Classicus misere ad Ceriale epistulas: —. ad ea Cerialis Civili et Classico nihil. V, 2 sunt qui tradant —. clara alii Iudeorum initia etc. 25 inter Bataves quoque sermones orti: — haec vulgus, proceres atrociora. A. I, 28 Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, suis laboribus defectionem sideris adsimilans, prospereque cessurum, qua pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur. 31 Igitur auditio fine Augusti vernacula multitudo — implere ceterorum rudes animos: venisse tempus, quo veterani — exposcerent. 39 Pavidos et conscientia vacordes intrat metus: venisse patrum iussu, qui inrita facerent, quae etc. II, 5 at ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent. Fundi Germanos acie etc. 45 ac tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat, recuperatam libertatem — ostentabat; contra fugacem Marobodum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse foedus etc. III, 45 Mox Augustodunum petit proprio agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite, ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur; id satis ad victoriam. Ibidem: Ipse — memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent; quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis. XIII, 14 Simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, inferos Silanorum manes invocare, et tot inrita facinora. 56 Et commotus his Avitus, patienda meliorum imperia: id dis, quos inplorarent, placitum, ut etc. Haec in publicum Ampsivariis respondit; ipsi Boiocalo, ob memoriam amicitiae daturum agros. XIV, 33 ibi ambiguus an illam sedem bello delegeret, circumspecta infrequentia multis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam etc. XV, 17 Ille — respondit —. Non ea imperatoris habere mandata Corbulo: periculo legiūnum commotum e provincia egressum etc.

D. desunt illa verba, si in enuntiato, quod sequitur, sententia personae culusdam antea nominatae oratione obliqua adnectitur. Agr. 15 Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere. Nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur etc. H. IV, 76 apud Germanos diversis sententilis certabatur. Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes etc. V, 25 Civilis rabie semet in arma trusos etc. A. I, 38 Deinde intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. 11 solam divi Augusti mentem tantae molis capacem etc. IV, 38 quod alii modestiam, multi — interpretabantur. Optimos quippe mortalium altissima cupere etc. 70 et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum, id ipsum paventes, quod timuissent. Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota etc. XII, 5 Quin et incertum. 17 Quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: belli potius iure caderent. 12 ita dignum maioribus suis et familia Cassia per illas quoque gentes celebrata. XV, 5 sibi imbecillum equitem pabuli inopia etc.

Iam quaeritur, quomodo Taciti usus a reliquorum scriptorum dicendi genere discrepet. Optime de Ciceronis usu Madvigius (de fin. I, 3,5) disputavit: „Praetermittam nunc dicendi verba, de quorum ipsorum omissione possunt quaedam utiliter notari, velut recte omitti „inquit“ in hoc positu: „mihi vero ille“, de quo dubitatum est ad Acad. I, 14; cf. de r. p. III, 44. Tusc. I, 104; non recte omitti coniunctivi modi verbum in sententia conditionali coniunctioni causali subiecta, ut factum est in Acad. II, 88. Sed alia verba omittuntur, oratione ad familiarem consuetudinem accidente, in brevi sententia a reliquis diiuncta, aut cum adverbio posito iudicatur de re aliqua aut ubi partim ex subiecto et cohaerentia orationis, partim ex obiecto aut praepositione verbo subiecta intellegitur una illa, quae apta sit, verbi notio, ut hic II, 17. IV, 1 et 80. ad Att. I, 18, 6. II, 12, 2. IV, 8 B init., de n. d. III, 94. II, 1 et 11. Tusc. I, 34. II, 41. Interdum quidem ex sola cohaerentia orationis et ex rei praegressa commemoratione verbum definitur, ut Phil. II, 72. ad Att. IV, 8 B 2., cf. Or. 20. de Off. III, 109.“

Tacitus igitur audacius quam optimae aetatis scriptores verba illa omittit, argenteae, quae dicuntur, aetatis scriptores secutus, cf. Verg. X, 441. Liv II, 12. XXI, 18.

2. Verba movendi agendi similia desunt.

Talia verba per facile e praepositione vel adverbio vel e tota sententia antecedente cognosci et suppleri possunt. dial. 36 hinc leges assidue et populare nomen, hinc contiones magistratum paene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. Agr. 11 ut inter barbaros. 13 Mox bella civilia. 17 Multa proelia et aliquando non incruenta. 18 Ut in dubiis consiliis. 19 Nihil per libertos servosque publicae rei. 22 Nec Agricola umquam per alias gesta avidus intercepit; seu centurio seu praefectus. 33 Iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque pro cursu. 39 tamquam inde initia gentis. G. 12 distinctio poenarum ex delicto. 14 materia munificentiae per bella et raptus. 19 melius quidem adhuc eae civitates. 21 quantum ad ius hospitis. 37 medio tam longi aevi spatio multa invicem damna. 37 inde otium. 38 in aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueorum seu imitatione, rarum et intra iuventae spatum. 38 neque enim ut ament amenturve. H. I, 31 pergunt etiam in castra. 36 nec deerat Otho pretendens manus adorare vulgus, iacere oscula et omnia serviliter pro dominatione. 65 multae invicem clades crebrius infestiusque quam ut — pugnaretur. 83 tumultus proximi initium non cupiditate vel odio — ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum. 84 Vos quidem istud pro me. III, 38 cetera in maius de apparatu et solutis in lasciviam animis. 67 voces populi blandae et intempestivae, miles minaci silentio. A. I, 43 Melius

et amantius ille, qui gladium offerebat. 65 utque tali in tempore (cf. II, 4). IV, 13 atque haec calidis criminatoribus. 22 quasi principis monitu. 38 Melius Augustum, qui speraverit. 57 Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam. VI, 10 Haec apud senatum. 50 pavor hinc in omnes. XIII, 40 nec amplius quam decurio equitum audentius progressus etc. XIV, 7 nisi quid Burrus et Seneca. Ibidem: post Seneca hactenus promptius. 8 Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis et magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem. 29 Sic pedes; equites vadosa secuti etc. XV, 13 nec aliud quam munimenta propugnabant. XVI, 19 Ne codicillis quidem, quod plerique pereditum, Neronem adulatus est.

Verba movendi priores quoque scriptores saepius, reliqua rarius omiserunt. Cic. Phil. I, 2, 6. XIV, 9, 24. ad Att. IX, 1, 7. XI, 22. XIV, 1. ad famil. XVI, 17. de fin. II, 6, 17. IV, 1, 1. 4, 9. V, 1, 1. de n. deor. I, 36. II, 11. pro Mil. 14, 3, 6. Sall. Iug. 100 (, ubi duo libri m. scr. primae familiae recte praebent „dein Marius uti cooperat in hiberna“). Caes. bell. civ. I, 60, 3. Liv. I, 7, 2. VII, 31, 8. XXXXI, 3, 5. XXXXIV, 24, 1 (ubique vero Weissenbornius verba sine causa inseruit). Flor. III, 6, 12. Nullo igitur modo Taciti genus scribendi a reliquorum scriptorum usu abhorre, exemplis me ostendisse censeo.

3. Usitatissima apud Tacitum verbi substantivi est ellipsis.

1. Indicat. modus omittitur.

A. Ind. mod. primum quidem in enuntiato superiore deest. Exempla omnia, quae mihi ad manum sunt, e libris minoribus sumpta adscribam.

d. 6. 9. 12 (ter). 13. 18. 19. 20. 22. 25. 37. Agr. 5. 6 (bis). 9 (bis). 10. 11 (ter). 12 (quater). 13 (bis) 14 (quater). 15 (bis). 16 (quater). 17. 18. 20 (bis). 21. 22 (bis) 23. 24 (ter). 26. 27. 29. 30 (quinquies). 31. 32 (bis). 33 (ter). 35. 37 (ter). 38 (ter). 40. 41 (bis). 44. 46. Germ. 2. 5. 6 (quater). 7 (bis). 10 (quater). 13 (sexies). 14 (bis). 16. 17 (bis). 19 (bis). 20 (ter). 21 (bis) 22 (bis). 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30 (quater). 31 (ter). 32 (bis). 35 (bis). 37 (bis). 38. 39. 40 (quater). 41 (bis). 42 (bis). 43 (ter). 44 (bis). 45 (ter). 46 (octies).

Ex historiarum et annualium libris exempla non laudo, nam innumerabilia fere sunt.

B. Ind. mod. in enuntiato secundario saepe omittitur. d. 6. Agr. 5. 10 (ter). 26. 36. 38. 6. 3. 4. 9. 10. 17. 18. 19. 40. 45. H. II, 33. IV, 13. 15. 18. 29. 31. 33. 34. 39. 46. 48. 57. 62. 74. 81. 84. V, 16 (Heraeus). A. I, 7. 28. 33. 69. II, 9. 83. III, 26. IV, 74. XII, 39 (Draegerus).

2. Coniunctivus mod. omittitur.

A, si alter coni. mod. sequitur.

Agr. 24 idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur. 6. 19 ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne — ament. H. I, 21 proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. 40 igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum sollio depulsuri ac non imperatorem trucidare pergerent etc. 79 tamquam ipse felix bello et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset. IV, 34 tamquam perditae apud Romanos res et suis Victoria provenisset. A. I, 9 mirantibus: quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus, quod Nolae — vitam finivisset. 35 ut seditionem attigit, ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quoniam tribunos, quo centuriones exegissent, rogitans etc. 65 cum — apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo etc. IV, 22 tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. VI, 35 modo equestris proelii more frontis et tergi vices, aliquando ut consertacies — pellerent pellerentur. 37 quia eorum, quae terra coelove portenderentur, certior fides, flumina

num insatiabilis natura simul ostenderet omnia raperetque. XV, 27 Scire, quantum intus discordiarum, quaque — regeret.

B. Tribus modo locis alter coni. mod. non sequitur. (cf. Nipperd. ad A. I, 7.) dial. 1 „cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingenitis nostris male existimandum, si idem adsequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus.“ Post „existimandum“ Lipsius sine causa „sit“ inseruit. Lectionem, quam libri m. scr. praebent, recte sese habere, exempla, quae laudabo, ostendent. H. I, 85 arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas. A. I, 7 quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinales, vultuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas gaudium, questus adulacionem miscebant.

C. in quaestionibus indirectis et exclamationalibus coni. omittitur. dial. 18 nec quaero, quis dissertissimus. G. 9 unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi. 13 magna et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. 45 Nec quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quae situm compertumve. H. II, 42 is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum. III, 56 quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urguendo trahendove bello modus etc. IV, 62 quale illud iter? quis dux viae? A. I, 11 se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. 16 quaenam post Augustum militiae condicio. 48 nullo nisi consciis noscente, quod caedis initium, quis finis. II, 14 et quae sapientia provisa aptaque imminentि pugnae, disserit. 36 unde prospici posse, quae cuique tam longo temporis spatio mens domus fortuna? 63 quam propinquus Italiae hostis. 76 quid agendum. III, 11 quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo. 40 quam inops Italia, quam inbellis urbana plebes. 45 quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis. 52 Sed Tiberius saepe apud se pensitato, — quam indecorum adtrectare. XI, 15 viderent pontifices, quae retinenda firmandoque haruspicum, 23 an parum. XV, 62 rogitans, ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia.

D. post tamquam et dum coniunctivus omittitur.

G. 19 Eoque omnis supersticio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. A. VI, 26 Ferebant gnari cogitationum eius, quanto proprius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intemperatus, honestum finem voluisse.

3. Infinitivus deest.

A. esse. d. 5. 6. 8. 10. 12. 13. 15. 18. 19. 20. 21. 23. 25. 28. 32. 33. 37. Agr. 4. 25. 27. 29. 35. 39. 41. 42. 43. 46. G. 2. 3. 8. 9. 11. 13. 31. 39. H. III, 2. IV, 14. 17. 49. 57. V, 25. A. II, 15. 70. III, 58. VI, 21. XI, 23. XII, 5. XIII, 4. 20. 42. 49. XIV, 3. 11. 18. 33. XV, 12. XVI, 27.

B. fuisse. d. 39. G. 28. H. II, 37. A. II, 31. 73. III, 16. 17. 22. IV, 18. XI, 3. 11. XIII, 1. XV, 16. 22. 67. cf. Liv. XXIII, 2. XXIV, 5.

C. fore. Agr. 18. H. IV, 23.

Indicativus modus verbi substantivi praecipue praesentis, rarius reliquorum temporum apud omnes fere omnium aetatum scriptores omittitur,* coniunctivus rarissime (cf. Draeg. § 36 b). Ne Sallustius quidem Tacito exemplo esse potuit, cum paucis locis coniunctivum omiserit; cf. R. Dietsch, C. Sallusti Cripsi quae supersunt. Lipsiae 1858. vol. I. pag. 47. adn. 1., qui Iug. 53, 7. 88, 6. 113, 1

*) cf. Gell. V, 8: et est et erat et fuit plerumque absunt cum elegantia sine detimento sententiae. De Ciceronis usu cf. M. Seyffert, Pal. Cicer. pag. 17 (ed. V.).

laudat, quibus H. IV, 61, 2 (19, 2 Kr.) adscribi potest. Infinitivus esse saepius, fuisse rarius, fore omnino non a prioribus omittitur. Tacitus igitur multo audacius quam priores verbum subst., praecipue coni. modum omisit.

4. Restat ut de locis nonnullis disputem, quos Draegerus § 37 laudat. H. III, 2 „nec procul Germaniam, unde vires.“ Cum Antonius res modo breviter attingat, praedicatum omissum esse facile explicari potest. Praeterea accedit, quod si „unde“ adverbium eodem modo quo „inde“ et „hinc“ adhibentur saepissime praedicatum omittitur, nam praedicti notio per facile ex adverbii notione cognoscitur. Verbis ex historiarum libro laudatis similia sunt: d. 36. Agr. 2. 21. G. 37. 39. H. I, 19. 53. 65. 72. 85. III, 25. IV, 19. A. IV, 54. VI, 30. Facilius ellipsis explicari potest, si dativus substantivi adiungitur: G. 2. 4. 9. Agr. 10 (Schoemann). H. I, 19. II, 8. 11. IV, 82. V, 4. A. I, 63. XVI, 5. cf. Woelflin, Phil. XXVI, 144.

H. III, 53 „literas ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem“ recte Heraeus Tacitum ita ad analogiam verborum „quam pro“ cum comparativo coniunctorum scripsisse censet.

2. De ellipsi, quae ad obiectum pertinet.

1. **Accusativus localis** raro apud Tacitum legitur. H. III, 84 Vitellius Aventinum in domum uxoris sellula defertur. A. II, 59 Germanicus Aegyptum proficiscitur. XII, 32 ductus inde Cangos exercitus. 51 ipse praeeceps Hiberos ad patrium regnum pervadit.

E reliquis scriptoribus haec exempla adscribo: Plaut. Curc. II, 3, 60. Cic. de nat. deor. III, 22, 55. pro Mur. 16, 34. Caes. bell. civ. III, 106. Corn. Nep., Milt. 1 (ter). Dat. 4. Sall. Iug. 28. Auct. bell. Hispan. 35. E Livii libris Kühnastius, synt. Liv. pag. 156, adfert: Aegyptum (XXXI, 43, 5. XXXXV, 10, 2. 11, 8), Héllespontum (XXXVII, 31, 6. 33, 4), Etruriam (X, 37, 1), Peloponnesum (XXXXII, 44, 6).

Cum exempla, quae adtuli, ostendant, scriptores latinos, etiamsi Graecorum dicendi rationem secutos, hoc modo accusativum adhibuisse, nulla causa est, cur praepositionem inserendam esse censeamus.

2. **A. Dativus** saepissime a Tacito apud verba passiva loco praepositionis „a“ ponitur. dial. 4 in quibus mihi satis superque sudatum est. 29 transeo prima dissentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur. 32 quas vobis aperiri aequum est (ita optimi libri m. scr. praebent, neque egent verba Rhenani conjectura, qui „a“ praepositionem inserit). Agr. 2 cum Aruleno rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent. 5 nosci exercitui. 10 populos multis scriptoribus commemoratos. Ibidem: Britannia Gallis inspicitur. 26 quod ubi cognitum hosti. G. 16 nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est. 39 centum pagi iis habitantur. H. I, 11 quae allis procuratoribus cohibentur. 14 cui apud Rubellum Plautum exercita cum Pisone amicitia. 27 cum emi sibi praedia — finxisset. II, 80 Suriacis legionibus hiberna mutarentur. Ibidem: militibus diligebantur. III, 12 quae provinciae Vespasiano tenebantur. 56 cui feriri hostias mos est. 65 vultus procul visentibus notabantur. 70 ne militibus interficeretur (recte scribuntur). IV, 26 ductus Vocabulae exercitus (libri m. scr. praebent). 29 intellectum id Civili. 56 simulatum ipsis obsequium. V, 3 utrisque deserti. A. I, 1 prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt. 10 ne ipsis quidem qui fecere laudatas. II, 7 neque Silio ob subitos imbres aliud actum. 50 ut exemplo maiorum propinquis suis — removeretur. 57 quae Germanico tolerabantur. 62 dum ea aestas Germanico transigitur. III, 3 Tiberio et Augusto cohabitam. 20 donec desertus suis caderet. 21 L. Ampronio comperta. IV, 10 quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt. VI, 41 Clitarum natio Cappadoci Archelao sub-

iecia. XII, 1 Agrippinam Germanico genitam. 9 quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur. 54 cui pars provinciae habebatur. XIII, 20 mox Neroni per vino lentiam trahabatur. XIV, 8 Aniatum trierarcho comitatum. 58 pluribus salus eius curabatur. XV, 14 Missi posthac Paeto nuntii (cod. praebet, ubi plerique interpretes praepositionem „a“ sine causa inseruerunt.).

Omnis omnium aetatum scriptores latini eodem modo dixerunt: Ennii Iph. fr. 4 v. 254. Plaut. Aulul. v. 4 et 5. Epid. II, 44. Mostell. I, 3, 67. Ter Phorm. II, 1, 18. Cic. de nat. deor. II, 48. de or. II, 34. in Verrem IV, 42, 91. V, 45, 118. pro leg. Man. 24. Tusc. disp. IV, 44. V, 24. de off. III, 9, 38. Cat. mai. 11. Caes. bell. Gall. I, 28. IV, 13. bell. civ. I, 8. De Livio cf. Kühnast. pag. 139. De quo dativi usu optime Madvigius ad Cic. de fin. I, 4, 11, ubi leguntur verba „qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemint e nostris etc.“ disputat: „Annotandus hic locus ad quaestionem de dativo pro praepositione „ab“ verbis passivis subiecto, praesertim cum hoc respondeat praecedenti „a nobis“. Exempla bonorum scriptorum prosae orationis aut in participio sunt, ut res effecta tamquam extet et teneatur, aut in eiusmodi verbis, ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui res fieri intellegatur, ut in quaerendi verbo.“

Hanc igitur constructionem re vera latinam esse, exempla ex optimis prosae orationis scriptoribus laudata ostendunt, etiamsi posteriores hunc dativum liberius quam priores adhibuerunt. Si posteriores rationem illam a Madvio explicatam neglexerunt, latinae linguae legem — nam apud partic. fut. pass. semper dativus personae adhibetur — ad analogiam graecae linguae latius adhibuerunt.

B. Dativus pro praepositionibus „in, ad, adversus“ legitur. A. I, 19 iamque pectori usque adcreverat. I, 6 tribuno custodiae adposito. II, 68 priori custodiae regis adpositus. H. I, 43 centurio custodiae Pisonis additus. II, 11 his copiis rector additus Annus Gallus. A. I, 23 centurionem morti deposit. 51 incessit itineri et proelio. IV, 72 qui tributo aderant. XI, 30. XII, 18. XIV, 61 profluit genibus. XI, 21 arrogans minoribus. XII, 20 nobilitatibus externis mitis. Agr. 16 paenitentiae mitis. A. XII, 40 composuerunt exercitum viae pariter et pugnae. VI, 8 Nec quemquam exemplo assumo. A. IV, 46 promptum libertati aut ad mortem animum. XIV, 38 cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.

Restat ut de H. II, 10 disseram. Acidalius et Halmius cum Mediceum, qui litteras „retinebat adhuc terroris et“ praebet, secuti, recte scribant „retinebatur adhuc terrori. set“, quae conjectura litteris traditis et Taciti generi scribendi optime respondet, nulla est causa, cur verba illa denuo conjecturis tentare conemur.

Si A. I, 18 verba „properantibus Blaesus advenit“ leguntur, fortasse cum Nipperdeio ablativus abs., cui subiectum deest, statui potest.

G. 16 Suffugium hiemi. H. I, 35 minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus. A. XII, 55. XIII, 21. XV, 48 adversum amicos et ignotis quoque.

Dativo, de quo agitur, neque Cicero neque Caesar usi sunt; apud Sallustium simili modo legitur Cat. 32 „quod neque insidiae consuli procedebant“, ubi non est causa, cur Sallustio audaciorem dativi usum abiudicemus, cum loci e Tacito laudati hunc dicendi modum a linguae latinae indole non abhorrire ostendant.

Poetae et argenteae, quae dicitur, aetatis scriptores saepe hoc modo dixerunt: Plaut. Trin. 255. Verg. Aen. I, 377. III, 338. 715. VII, 39. Ov. ex Ponto IV, 6, 22. Liv. XXI, 20, 8.

3. Ablativus.

A. Ablativo, qui, unde aliquid exeat, significat, apud terrarum nomina cum alii scriptores tum Tacitus nonnumquam utuntur eodem modo, quo accusativum terrarum praecipue Graecarum scriptores omnium aetatum nude posuisse supra vidimus.

II, 65 profugerat Britannia. 79 Syria remeans. III, 15 Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat. V, 1 quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat. 13 profecti Iudea. 23 Gallia adventantes. A. I, 3 remeantem Armenia. II, 69 Aegypto remeans. Ibidem: abire Syria. III, 11 rediens Illyrico. XI, 24 Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos. XIII, 7 abscessere Armenia Parthi. 35 Syria transmotae legiones. XIV, 45 ut liberti — Italia deportarentur.

Ante Tacitum hic ablativus rarissime legitur: Plaut. Most. 425. Caes. bell. civ. III, 58. Vell. Pat. I, 44. De Livio, qui ablativo hunc in modum perraro utitur, cf. Kühnast. pag. 185.

Quae cum ita sint et Quintilianus (inst. or. I, 5, 38) „Aegypto venio“ inter soloecismos laudet, plerumque praeterea nomina graecarum hoc modo usurpentur, Latinos hoc ablativo ex imitatione Graecorum usos esse, credibile est. Appellativorum nominum ablativum rarissime hunc in modum et poetas quidem secutum Tacitum adhibuisse exempla pauca ostendent. H. III, 39 testudine labi: cf. Verg. Georg. I, 366. Aen. XI, 588. Ov. Met. III, 699. XI, 51. — H. III, 56 profugus altaribus taurus. Eodem modo IV, 49; sed II, 46 profugi e proelio. A. XV, 1 regni profugus: cf. Liv. I, 1. Verg. Aen. I, 2. — H. IV, 22. A. VI, 40 depromo c. abl.: cf. Verg. Aen. V, 501. — A. XV, 54 promo: cf. Hor. epod. 2, 47. — A. XV, 29 sublatum capite diadema (ut recte Rhenanus scripsit): cf. Silius V, 55. VII, 477. — H. IV, 34. A. XIII, 44. XV, 40 prorumpo: cf. Verg. Aen. VII, 459. — A. XVI, 24 occursu prohibitus: cf. Caes. bell. gall. I, 15. Verg. Georg. IV, 105. Aen. I, 540. VII, 313.

Optimi pedestris orationis scriptores nonnullorum substantivorum ablativo (domo rure humo) eodem modo usi sunt; poetae vero et posterioris aetatis scriptores ablativum, de quo agitur, liberius adhibent.

B. Ablativus loci, qui proprie locativus est, de urbium nominibus saepe apud omnes scriptores latinos legitur, raro de aliis substantivis praeter ablativos „terra mari loco locis flumine campo campis.“ Poetae hoc casu de permultis substantivis et adiectivis usi sunt, quos cum aliis argenteae aetatis scriptores tum Tacitus secuti sunt. Si priores hunc ablativum adhibuerunt, substantivum cum adiectivo vel genitivo coniunxerunt, quo modo Tacitus quoque scripsit: cf. A. I, 8. 63. Nomina sola leguntur: dial. 13. A. XIV, 10 tumulo. H. I, 55 suggestu. II, 16 balineis. III, 29 testudine. V, 4 penetrali. 5 templo. A. I, 68 tergis. III, 5 sedilibus. 61 Delo. IV, 5 Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. XIV, 20 theatro. XV, 37 crepidinibus. XVI, 5 sedilibus. 17 codicillis. — Duorum substantivorum ablativi coniuncti sunt: A. IV, 43 saxis et aere prisco. 74 campo aut litore. XIII, 54 saltibus aut paludibus. XIV, 61 foro ac templis. XV, 38 lateribus aut fronte.

A priorum scriptorum usu proprius abest, si Tacitus genitivum vel enuntiatum relativum adiectivi vice adiungit. dial. 32. 37. H. IV, 84 loco cui nomen Rhacotis. A. I, 60 finibus Frisorum. II, 30 nominibus Caesarum aut senatorum. XII, 36 campo, qui castra praeiacet. 67. XIV, 10. 22. XV, 37.

Saepissime ablativus adiectivi neutrius generis ita usurpat: medio Agr. 24. H. I, 68. III, 16. A. I, 64. II, 52. XIII, 38. XV, 29. plano H. III, 19, sed „in plano“ H. V, 23. vicino H. III, 38. editis A. IV, 46. secreto A. IV, 41.

Cum priores hunc ablativum raro et plerumque cum adiectivo coniunctum adhibeant, Tacitus liberius eo usus est.

C. Ablativus temporis. Exempla a Draegero (§ 58) allata ablativos modi esse Nipperdeius recte censet, quem postea et ipse Draegerus secutus est. De ablativo re vera temporali mihi non disputandum est, cum eum apud omnium aetatum scriptores saepissime legamus.

D. Ablativus instrumenti de personis liberius a Tacito usurpat, dum apud priores raro eum

et de inferioribus quidem personis adhibitum invenimus. Agr. 40 uno aut altero amicorum comitatus. G. 40 nationibus cincti. H. I, 11 copias, quibus coerceretur. 50 captam totiens suis exercitibus urbem. A. II, 79 ne castra corruptoribus, ne provinciam bello temptet. 46 legionibus. IV, 12 atque haec callidis criminatoribus — efficiebat. VI, 44 cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus. XIV, 8 Agrippina respicit Anicetum, trierarcho Herculeo et Oloarito centurione classiario comitatum.

De copiis hic ablativus saepe apud optimos scriptores (cf. Kühnast. pag. 162 sq.), de aliis personis rarissime legitur, si persona quasi res est: cf. Cic. pro Mil. 18 iacent suis testibus. Tacitus ablativum instrumenti de personis liberius poetarum more adhibet: cf. Hor. carm. I, 6, 2. sat. II, 1, 84.

E. Ablativus modi praepositionis vice adhibetur. G. 11 Mox rex vel princeps — audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. H. I, 23 paratu facinoris. 48 proconsulatu. 63 occasione irae. 89 motu Vindicis. II, 5 exitu Neronis. 42 comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant; sed G. 6 per. cf. H. IV, 78. A. II, 45. — H. II, 70 clamore et gaudio. III, 10 singultu. 29 cuneis. IV, 6 Galbae principatu. 45 coetu multitudinis. 81 gemitu. V, 15 cantu. 16 Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis adstitit. A. I, 7 tribuniciae potestatis praescriptione. 59 fama dediti benignaque excepti Segestis vulgata — spe vel dolore accipitur. 68 Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur. II, 80 veterani ordinibus ac subsidiis instructi. III, 14 tot adstantium visu. IV, 46 qui montium editis incultu atque eo ferocius agitabant. 51 barbari catervis decurrentes. XIII, 15 dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. 20 vigilatam convivio noctem. XV, 29 eques compositus per turmas et insignibus patriis. 38 impetu. 45 quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas — sacraverat.

Optimi scriptores ablativum modi adhibuerunt, si substantivum cum adiectivo vel pronomine vel genetivo coniunctum est, vel si substantiva ipsa modum significant; cf. Kühnast. pag. 175, qui huius generis exempla priorum scriptorum adfert. Scriptores argenteae aetatis ablativo modi liberius usi sunt, quos Tacitus secutus est.

F. Ablativus qualitatis cum brevitate quadam adhibetur. Agr. 10 Septentrionalia eius nullis contra terris vasto atque aperto mari pulsantur. 16 Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. 36 Britanni ingentibus gladiis et brevibus ceteris. 37. Partem equitum dimisis equis. 44 Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse. H. I, 8 vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus (sed fortasse zeugma quod dicitur hic statui debet). A. I, 13 sed divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. 19 Blaesus multa dicendi arte. 29 Drusus — quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita incusat priora. VI, 8 quia Balbus truci eloquentia habebatur. XIII, 6 Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos.

Simili modo priores quoque, sed raro scripserunt: cf. Cic. Phil. XIII, 6, 13. Caes. bell. gall. I, 18. 28. II, 6. bell. civ. III, 80. Kühnast. pag. 179.

Nonnullis locis ablativus qualitatis et genetivus qu. conexi sunt: A. IV, 29 Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore. XIII, 54 quasi impetus antiqui et bona aemulatione. XV, 38 feminarum, fessa aetate aut rudis pueritiae.

4. Genetivus qualitatis cum ellipsi quadam adhibetur. Agr. 4 Mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis. H. I, 69 Cossus notae facundiae. II, 15 Albigaunum interioris Liguriae revertere (nisi hic fortasse ex antecedente verbo „municipium“ v. „oppidum“ supplendum est). III, 49 quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat. IV, 15 stolidae audaciae Brunno. 49 Valerius Festus, sumptuosae adolescentiae. A. I, 41 pergere ad Treviros et externae fidei. II, 63 dato rege

Vannio gentis Quadorum. III, 20 illam obsidionem flagitii ratus. IV, 31 compositus alias et velut eluctantium verborum. VI, 30 Gaetus — effusae clementiae. 31 Abdus, ademptae virilitatis. XVI, 29 Montanum probae iuventae neque famosi carminis.

Hoc modo Caesar (bell. gall. I, 10 in fines Vocontium ulterioris provinciae pervenit. V, 6. VII, 7). Livius (XXI, 41) alii scripserunt. Cur vero Heraeus censeat, Tacitum genetivum, de quo agimus, e more Graecorum adhibuisse, non video, cum primum quidem Caesar, qui purum illud dicendi genus adhibet, eo usus sit deinde etiam a Latinis saepe verba, quae facile suppleri possunt, negligantur; quid est facilius, quam, ut exemplo utar, A. II, 63 „viro“, Caes. bell. gall. I, 10 „terram“ supplere. Et talia quidem verba omnes linguae omittunt.

3. De ellipsi, quae ad attributum, quod nos dicimus, pertinet.

Si appositiones ad enuntiatum vel proprium vel participiale ponuntur, Tacitus saepissime accusativo utitur, si verbum enuntiat actionem significat, ita ut quasi ex facienda notione, quae talibus verbis inest, pendeat; et accusativus quidem et effectum et quem finem spectet actio significat. Apud Ciceronem eiusque aequales haec appositionum forma non invenitur, qui eas pronomine relativo adiungunt. Quo de usu optime disputavit Nipperdeius ad A. I, 27, ubi leguntur „manus intentantes, causam discordiae et initium armorum.“ Praeterea haec adfert exempla: A. I, 30 quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. 35 Extrema et conglobata inter se pars contionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli propius incidentes feriret hortabatur. II, 64 enimvero audita mutatione principes immittere latronum globos, excindere castella, causas bello. H. I, 44 Vitellius omnes conquiri et interfici iussit, non honore Galbae, sed tradito principibus more munimentum ad praesens, in posterum ultionem. 72 et haud dubie servaverat, non clementia, sed effugium in futurum. III, 31 aspernante tumentemque lacrimis fatigant, extremum malorum. IV, 19 intumuere — et pretium postulabant, non ut adsequerentur sed causam seditioni.

Quibus exemplis adscribi possunt haec: G. 16 suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive e. q. s. H. IV, 18 matrem suam sororesque, simul coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. — Fortasse etiam cum Wolso A. I, 3 „subsidia dominationi“ hoc modo intellegenda sunt. Eodem modo scripsit Hor. sat. I, 4, 9. II, 1, 52. Sall. hist. IV, 62, 8 (Dietsch). Apud Graecos persaepe tales appositiones invenimus; cf. Hom. Il. γ, 48. ω 735. Eur. Med. 1034 ed. Kirchh. Or. 29.

Si verbum, quod antecedit, intransitivum aut passivum est, nominativus, qui rem designat, qualis sit, legitur. H. I, 15. intrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas. II, 32. III, 66, 84. IV, 85. V, 4. A. II, 82, 85. III, 9. VI, 47. XII, 35. cf. Cic. in Verr. V, 14. Sall. hist. I, 41, 12. III, 61, 26.

Aliter res sese habet, si enuntiatum, cui appositio adiungitur, obiectum est, si sententiam quidem spectamus. Talia iam apud Ciceronem inveniuntur: de or. II, 19, 79. or. 16, 52. Tuscul. I, 43, 102. pro Sest. 18, 41.

Tac. A. I, 49 Truces etiam tum animos cupidio involat eundi in hostem, piaculum furoris. 74 Sed Marcellum insimulabant sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen. VI, 24 etiam sua verba centurio saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficiente adiecerat. 37 nuntiavere accolae Euphraten — sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus. XVI, 8 Ipsum dehinc Silanum increpuit isdem, quibus patrum eius Torquatum, tamquam disponeret iam imperii curas praeficeretque — libertos, inania simul et falsa. H. I, 46 fiscum suum vacationes annuas exsoluturum pro-

misit, rem haud dubie utilem et a bonis — principibus firmatam. III, 61 qui suas centurias turmasque tradere, donum victori et sibi in posterum gratiam, certabant. G. 16 solent et subterraneos speens aperire, suffugium hiemi et receptaculum frugibus.

Interclusiones quoque, de quibus Draegerus § 139 disputavit, hoc loco tractandae sunt, cum pleraeque pro appositionibus haberi possint. Agr. I Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit. H. II, 76 splendidiore origine quam nos sumus, fateor, sed et Nero — anteibat. IV, 57 flagitium incognitum Romano exercitu. V, 17 ita illis mos. A. XV, 36 causae in incerto fuere. — A. I, 39 ac ni aquilifer vim arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus etc. 56 Nam, rarum illi coelo, siccitate properaverat. VI, 10 L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit. XIII, 2 Hi rectores imperatoria iuventae et, rarum in societate potentiae, concordes. — Si Draegerus ad A. I, 39 adnotat, hanc interclusionem verbo „rarum“ factam modo quater legi, praeterit verba, quae Germ. 38 leguntur, „in aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueborum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium. Florus quoque I, 3 (I, 1 ed. Halm.: „sic — rarum alias decus — unius manu parta Victoria est, quam ille mox parricidio foedavit.“) hac interclusione usus est, quem Wölfflinius (Philol. XXVI, 107) laudat. Cur vero Ritterus (ad A. I, 39) tales interclusiones glossemata esse censem, non video; nam quamquam Tacitus plerumque dixit „quod est rarissimum, quod raro alias“ (Agr. 9. G. 30. H. I. 89), tamen eum saepe audaciorem esse quam priores scriptores, praecipue in annalium libris, constat.

G. 31 ignominiosum id genti. — Agr. 7 quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum, suo an militum ingenio. H. IV 11 ea ulti, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat. A. I, 11 Augustus addiderat consilium coercendi imperii, incertum metu an per invidiam et similia. VI, 50. XI, 22. XIV, 9. 51. XV, 38. 51. 64. conf. XV, 36. — A. I, 5 dubium an quae sita morte.

A. XII, 61 „mox adventu Aesculapii artem medendi inlatam maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens, et quibus quisque aetatibus viguerint.“ Recte Nipperdeius confert Cic. de nat. deor. I, 7, 17 „mihi vero, inquit Cotta, videtur. Sed ut hic, qui intervenit (me intuens), ne ignoret, quae res agatur: de natura agebamus deorum.“ — Similia sunt, quamquam non participium inseritur, quae leguntur apud Ciceronem (de fin. V, 3, 7): „cum hic adsit — me autem dicebat — tamen etc.“ Apud Graecos saepius participia hoc modo adiunguntur: Thuc. I, 87. Demosth. in Mid. 116. Sed nihilominus nulla causa adest, cur e Graecorum imitatione Latinos sic scripsisse censeamus, cum omnes homines eodem modo dicant.

Appositiones, quas primo loco tractavi, fortasse e Graecorum imitatione fluxerunt, cum tales apud Ciceronem omnino non legamus, sed modo apud Sallustium, Horatium, Livium, Tacitum; appositiones vero, quas deinde adscripsi, et interclusiones re vera e linguae latinae indole dici nemo negabit; concedendum autem est, Tacitum liberius et audacius eis usum esse, quam priores scriptores.

Si, quae ad hunc locum tractata sunt, respicimus, num Tacitus re vera omnibus illis locis elliptice dixerit, quaeritur, quod nullo modo contendi potest; quodsi nudum casum posuit et praepositiones omisit, quas Cicero adhibuit, non praepositionis ellipsis statuenda est, cum initio linguas praepositionibus non usas esse, sed nudos casus ad singulas rationes significandas suffecisse constet. Praepositiones adverbia fuerunt, quae casibus addebat, si significationem, qua casum positum esse voluerunt scriptores, accuratius describi opus fuit. Quae cum ita sint, hoc unum concedere possumus, Tacitum casus liberius quidem adhibere quam priores, sed nullo modo ab indole latinae linguae recedere.

Ellipsis vero statuenda est, si Tacitus substantivum omisit, ablativum et genetivum qualitatis dico; sed huius modi ellipsis facile cognosci et suppleri potest.

Postremo si Tacitus appositiones nudo casu adiunxit, ubi priores scriptores enuntiato relativo uti solebant, ellipsis statui non posse, ex eo cognoscitur, quod appositionis casus e verbo antecedente pendet.

Quae cum ita sint, paucis locis re vera elliptice Tacitus scripsit, ubi verbum omisit, de qua ellipsis dubitari non potest, et ubi substantivum omisit. Id vero optimo iure contendi potest, Tacitum poetas secutum nudos casus saepius et liberius quam aureae aetatis scriptores adhibuisse.

II.

Altero loco cum mihi de enuntiatis, quae adiunguntur, disputandum sit, primum quidem de eis, ubi coniunctio „nam“ elliptice adhibetur, deinde de asyndeto disseram.

1. Coniunctio nam elliptice adhibetur. A. II, 63 Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit. Transgressus Danuvium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus Romanam amicitiam praetulisse. XIV, 11 Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat. 44 nam et ex fusto exercitu. 52 Nam oblectamentis principis palam iniquum detractare vim eius equos regentis, includere voces, quotiens caneret. 6. 14 Nam epulae, et quamquam incompti largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.

Similiter coniunctio enim Agr. 15 usurpat: quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? A. I, 43 Cur enim primo contionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o improvidi amici? Ibidem: legissetis ducem, qui sineret, Vari tamen — ulcisceretur. Neque enim di sinant, ut Belgarum quamquam offerentium decus istud et claritudo sit etc.

Idem coniunctionis nam usus apud alios quoque scriptores inventur: Caes. bell. gall. V, 7. Sall. Cat. 52, 34. Liv. IV. 20. Plin. panegyr. 5. Florus II, 6. Suet. div. Iul. 43—44. cf. Naegelsbachii stil. § 196, 1, 6, qui exempla e Cicerone laudat.

2. Altero loco de asyndeto mihi disputandum est, quod in enuntiatis conformandis apud Tacitum maximi momenti est.

A. Si scriptores fervidiore oratione utuntur vel si res breviter attingunt, particulae copulativaे omittuntur.*^{*)} Agr. 5. 21. G. 22. H. I, 41. 47. A. I, 28. 41. 64. 70. II, 15. 19. 69. III, 21. — H. I, 3 Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges; propinquai audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides; supremae clarorum virorum necessitates, ipsa necessitas fortiter tolerata e. q. s. A. I, 1. cf. Caes. b. gall. I, 7. 20. 22. 40.

^{)} cf. Naegelsbach. I. I. § 202. Sehr häufig sind besonders bei Historikern Schilderungen, in welchen das Asyndeton zwar nicht die Wirkung hat, mehrere Handlungen für die Vorstellung in einen Moment zu concentriren, doch aber den Drang, den raschen Verlauf der Begebenheiten malst. Das Geschehene selbst rückt für die Phantasie in demselben Maß aneinander, in welchem sich die erzählenden Sätze unmittelbar aneinander reihen.

Saepissime apud Tacitum anaphora in comotiore oratione copulae locum obtinet. E libris minoribus exempla adscribo haec: dial. 22. 23. 32. 34. 36. 38. 40. Agr. 5. 9. 15. 18. 25. 30. 32. 33. 34. 36. 40. 41. 45. 46. G. 6. 7. 11. 13. 16. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 30. 32. 35. 37. 38. 40. 43. 44. 46.

B. Altero loco primum quidem enuntiata laudo, quae sola sententia inter se coniunctae sunt (asynd. explicativum et asynd. adversativum); deinde locos, ubi particula adhiberi omnino non potuit (asynd. enumerativum et asynd. summativum).

a. **Asyndeton explicativum** rem adiungit, qua enuntiatum antecedens explicatur. dial. 34. Agr. 1. 3. 15. 24. 37. 45. G. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 21. 22. 23. 24. 29. 30. 31. 32. 36. 39. 40. 43. 45. E reliquis libris duo exempla sufficient: H. II, 88 non tulit ludibriū insolens contumeliae animus: inermem populum gladiis invasere. A. I, 6 nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa simulabat. cf. Naegelsbach. § 199. I, 1, qui e Cicerone exempla laudat.

b. **Asyndeton adversativum.**

α. Primum quidem singula verba coniunguntur. dial 8. 33. Agr. 13. 19. 30. 41. G. 2. H. I, 40. 76. III, 3. 73. IV, 46. V, 20. A. I, 56. IV, 5. XII, 34. XV, 50. H. II, 43. A. XI, 17 cf. Nipperd. ad. A. XII, 19 et XIII, 48.

β. Saepius tota enuntiata componuntur. dial. 22. 34. 35. 37. Agr. 3. 8. 9. 12. 13. 15. 18. 24. 30. 37. 39. 45. 47. G. 1. 4. 5. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 24. 27. 28. 30. 32. 33. 34. 38. 45. E reliquis libris sufficient: H. I, 8. 10. 29. 30. 83. 84. II, 3. 12. 16. 27. 74. 76. III, 3. IV, 41. 58. A. I, 6. III, 19. IV, 35. V, 3. XI, 20. 23. XII, 64. XIII, 56. XVI, 26. cf. Naegelsb. § 199, I, 2, qui e Cicerone exempla affert.

c. **Asyndeton enumerativum.** Cum Draegerus § 134 de hac asyndeti forma optime disserat, sufficient pauca, quae ad singulas partes adscribam: ad 1, a: G. 2. 12. 15. 28. 43. cf. Nipperd. ad A. VI, 7. — ad 1, b: dial. 22. — ad 2, b: A. VI, 24. Exempla e prioribus scriptoribus sumpta permulta laudat Draegerus.

d. **Asyndeton summativum adiectivis „cuncta omnia cetera“** similibus efficitur. Locis, quae Draegerus adulit, adscribi possunt: A. I, 11. III, 15. XV, 19.

III.

Si enuntiata, quae subiunguntur, respicimus, primo loco de interrogationibus indirectis disputandum est. cf. Woelflin. Philol. XXV, pag. 126 sq.

Initio Tacitus pleno enuntiato usus est: incertum est, ambigitur etc, utrum — an, ne — an (dial. 35. G. 5. H. I, 42. A. I, 58); deinde verbum „utrum“ omisit (H. I, 8); porro talia enuntiata ad appositionis formam constructa enuntiato cuidam inseruit (H. I, 75. A. XIV, 7); postremo interrogandi verbum omisit, ita ut coniunctio „an“ uni verbo adnectatur interdumque proxime accedat ad significationem coniunctionis „aut.“ H. I, 7 et Galbam mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. 28 is magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra et — exitium metuens, praebuit etc. III, 25 Vagus inde an consilio ducis subditus rumor.

IV, 47 Ceterum verane pauperie an uti videretur, actum in senatu etc. 66 simul Civilis, ausus an ex composito, intulit. A. I, 13 Tiberius casu an manibus eius impeditus prociderat. 65 legiones metu an contumacia locum deseruere. II, 22 de se nihil addidit, metu invidiae an ratus conscientiam facti satis esse. 38 siluit Hortalus, pavore an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens. 42 finem vitae sponte an fato implevit. 67 fugam temptans an ficto crimine interficitur. III, 9 Ab Narnia, vitandae suspicionis, an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras. XII, 52 morte fortuita an per venenum extinctus esset, ut quisque credit, vulgavere. XV, 69 nihil metuens an dissimulando metu.

Eodem fere modo reliqui scriptores dixerunt: cf. Hand. Turs. I, 300 ssq. Madvig. ad Cic. de fin. II, 32, 104. Weissenborn. ad. Liv. XXVIII, 43.

2. Deinde cum de enuntiatis comparativis agatur, Tacitum unam alteramve particulam omittere videmus; cf. Woelfl., Philol. XXV, 118 sq. Nipperd: ad A. I, 68.

a. eo vel tanto deest: II. III, 18. A. VI, 34. XIII, 13.

b. eo magis deest: H. I, 14. II, 3. A. I, 2. II, 11. 59. XV, 26.

c. magis vel potius deest: G. 6. H. I, 14. II, 11. III, 58. 60. IV, 55. A. I, 57. 58. 68.

III, 5 17. 32. 43. IV, 48. 61. V, 6. VI, 26. — „Potius ubique omittitur, ubi in elliptica comparativa sententia affirmatur altera res, altera negatur“.

De Livio, quem Tacitus secutus esse videtur, cf. Kühnast. pag. 174.

IV.

Postremo loco nobis disputandum est de ellipsi, quae vulgo statuitur in genitivo et dativo cum gerundii tum gerundivi enuntiati secundarii vice adhibitis.

1. Genitivus gerundii.

A. III, 26 nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem. XV, 5 Vologaesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi. 21 maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.

Cum hic dicendi modus Tacitus sit neque eodem modo antea legatur, Tacitum e Graecorum more scripsisse, recte Nipperdeius ad A. XIII, 26 censem, qui dicit: „Der Genitiv hängt ab von einem gedachten ganz allgemeinen Substantivbegriff. Diese Ausdrucksweise, die dem Tacitus eigenthümlich ist, scheint der griechischen Verbindung des Genitivs mit dem Neutrūm des Artikels nachgebildet, der im Lateinischen wegfällt, weil ihm die Sprache nicht hat, obwohl auch im Griechischen der Artikel mit dem Genitiv des Infinitivs nicht vorkommt.“

2. Genitivus vel gerundii vel gerundivi cum verbo quasi cum substantivo coniungitur, qui modus dicendi neque in libris minoribus neque in primis historiarum libris invenitur.

Ac primo quidem loco exempla adscribam, ubi omnino dativus statui non potest. H. IV, 25 tum e seditionis unum vincire iubet, magis usurandi iuris quam quia unius culpa foret. 42 sponte accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi sed in spem potentiae videbatur. A. II, 59 Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis. III, 7 Drusus Illyricos ad exercitus

profectus est, erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis.^{*)} 9 Ab Narnia vitandae suspicionis — Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras. 27 Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae. 41 Spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, ostentandae, ut ferebat, virtutis. VI, 30 Servilius Corneliusque, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas — demoti sunt. XIII, 11 clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat.

Quorum locorum series ostendit, genetivum a Tacito hoc modo adhibitum esse neque causam adesse, cur vel verba mutemus vel aliter interpretemur, etiamsi, ut exemplo utar, H. IV, 42 ita explicari possit ut formam illam, quam $\delta\pi\tau\omega\ zou\omega\vartheta$ grammatici nominant, statuamus.

Num Tacitus genetivo usus sit loco qui sequitur diiudicari non potest: A. I, 3 „bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolenda magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii.“ Hic genetivum statuendum esse, cum verba supra ex H. IV, 42 laudatis simillima sint, verisimile quidem, sed non certum est.

Iam quaeritur, num apud priores scriptores hic usus reperiatur. Ter. Ad. II, 4, 6 omnes fere laudant: „ah vereor coram in os te laudare amplius, ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum, facere existumes.“ Si Lipsius e Plauto (Rud. V, 3, 18) laudat: „Ius iurandum rei servandae, non perdundae conditumst,“ falsum est, nam genetivum cum verbo „iusiurandum“ coniungi necesse est. Neque apud Sallustium constructio, de qua agimus, invenitur; nam loci illi, qui ab interpretibus laudantur, aliter explicandi sunt, cum ubique genetivus gerundivi ex antecedente substantivo pendeat: cf. H. I, 49, 8. 56, 3. 6. 10. Et ita quidem saepenumero Sallustius locutus est; talia etiam apud Caearem leguntur, ut bell. gall. IV, 17, 10, cuius verba Nipperdeius recte interpretatus est.

Post Terentium modo Velleius Paterculus exemplum illius dicendi generis ante Tacitum praebet, II, 20 „opus erat partibus auctoritate, gratia, cuius augendae C. Marium cum filio de exilio revocavit, quique cum eis pulsi erant.“

Graeci vero saepissime infinitivo cum articulo praecipue cum negatione coniuncto hunc in modum utuntur. Exempla pauca sufficient: Thuc. I, 4. 23. II, 4. 22. 75. VIII, 39. Demosth. de corona 107. in Mid. 27. in Timocr. 36. Plat. Gorg. 457 E. Xen. Cyrop. I, 4, 4. 5, 13.

Cum igitur ante Tacitum solus Terentius, cuius verba aperte e Graecis tradita sunt, et Velleius Paterculus eundem dicendi usum adhibeant, Graeci vero saepenumero infinitivo cum articulo coniuncto eodem modo utantur, optimo iure Tacitum e Graecorum imitatione sic scripsisse censemus.

Iam quaeritur, num elliptice dixisse scriptores iudicandum sit; quod ex mea quidem sententia statui non potest; nam omnes, quos adtuli, loci ostendunt, genetivum esse qualitatis, qui, qualis actio sit, significat; numquam quem quis finem (unt ζu), ut alli volunt, sequatur, genetivus significare potest, cum haec notio dativo exprimatur. Quae cum ita sint neque usquam vis et natura genetivi mutetur, nulla est causa, cur ellipsis statuamus.

3. Dativus vel gerundii vel gerundivi eodem modo permultis locis cum verbis in historiarum et annalium libris coniungitur et dativus statui debet, ubicunque ob formae similitudinem fieri potest, cum dativi usus omnibus fere scriptoribus communis sit, genetivus a paucis adhibetur. „Dativo cum hoc maxime proprium sit, ut eas res significet, quae aliquid vel admittant et accipient, vel reiciant et respuant, et mutuam quandam rerum potius et personarum, quae agunt, quam ipsarum actionum

^{*)} Hic cur vel e Freinsheimi conjectura „spe“ ante „petendae“ inseramus vel cum Heinsio „ultioni“ scribamus, non video, praesertim cum hic alias locos, quibus genetivus legitur, defendat.

designet rationem, gerundii dativus minus videbatur aptus, et ubicunque occasio dabatur, rem potius actione praeditam addebant, neque tamen illam constructionem fugiebant, ut numquam admiserint.“ (Weissenbornius). cf. Woelflin. Philol. XXV, 114 sq.

adferre I. III, 20. A. VI, 50. — adipere A. II, 65. — adornare A. VI, 37. — cavare H. V, 12. — circumfundere A. XII, 38. — dare A. III, 12. — deesse A. I, 1. — delegere H. III, 57. V, 1. A. II, 4. III, 28. V, 4. VI, 32. 43. 45. XI, 22. XII, 19. XIII, 49. XVI, 2. — detinere A. XIV, 39. — digredi A. XI, 32. — deducere A. XII, 32. subducere A. II, 21. — eximere A. III, 22. — fingere A. IV, 1. — firmare A. IV, 73. — instituere A. I, 54. — insumere A. II, 53. III, 1. — mittere A. I, 60. II, 1. 88. immittere A. XI, 1. praemittere A. XV, 10. — parare A. XV, 4. — pergere A. XII, 66. — petere H. III, 32. — ponere A. I, 62. componere A. VI, 13. praeponere A. XIII, 8. — recludere A. XI, 20. — vagari A. XIII, 39. — venire A. VI, 43. XV, 24. — praeficere A. XV, 25. sufficere A. IV, 23. VI, 4.

Gerundium ter legitur: sufficere A. III, 72. — vulgare A. XIII, 11. — mittere A. XV, 16. Eodem modo priores scriptores dativo illo usos esse, Kühnast. pag. 123 ostendit.

Dativus consilium significat et recte ad verba, quae terminum requirunt, ponitur; nulla igitur causa est, cur scriptores elliptice dixisse statuamus; nam praepositio „ad“, quamquam saepe cum verbis supra laudatis coniungitur, non necessaria est, cum dativo eadem notio insit.